



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Sacrorvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis Et Breviarii Romani

In quibus origo cuiusque Ritus, Causæ historicæ, vel mysticæ, ex maiorum ingenio, Theoria, Praxis, Obligatio, & exquisitus Vsus, additis opportunè Decretis omnibus S. Rituum Congregationis, quàm breuißimiè explicantur

Gavanti, Bartolommeo

Antverpiæ, 1634

De Symbolo S. Athanasij. XX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40244

diebus fuisse usurpatum in Officio, contra sententiam Radulphi non bene sentientis de hoc ritu.

4 A Septuagesima ad Pascha non dicitur, Microl. *cap. 47.* neque in Adventu, idem *cap. 30.* cum Gemma *lib. 3. cap. 1.*

5 An verò sit finis Matutini, vel initium Laudum, disputauimus supra *Secl. 4. cap. 2. num. 3. pag. 52.*

6 Plenus est lætitiæ, & ideò in prædictis cantatur, aut omittitur; quo dicto, inquit Rubrica de hoc Hymno *num. 4.* statim inchoantur Laudes. Nostra enim consuetudo humanæ infirmitati parcens & labori, Officio nocturno Laudes Matutinas continuat, & Oratione vna duo concludit Officia, Hugo Victor. *lib. 2. cap. 9.* excepta nocte Natalis Domini, ut ibi dicemus.

7 Festum Innocentium non admittit hunc Hymnum, nisi in die Octaua, cuius causam dabimus in *Sectione sequenti cap. 6. num. 3.*

8 Verus, *Sanctus, Sanctus, &c.* videtur esse vnus, & ab vna parte Chori totus dicendus: sed quia primæ litteræ S. imprimuntur colore rubro, videtur alternatim ea verba cantanda; & ideò standū erit cōsuetudini locorum.

De Symbolo S. Athanasij.

C A P. XX.

Symbolum quid significet, diximus supra *c. 3. pag. 64.* S. Athanasius, dum esset Romæ, scripsit Latine Symbolum, de quo hinc loquimur, & recitauit coram Pontifice, & ei assidentibus, anno 340. ut scribit Baronius: & est illud idem, non mutatum, legique solitum in Ecclesia ante annos nongentos sexaginta. Vide Annales ad annum prædictum.

1 De vsu eiusdem Symboli ad Pri-

mam, Hugo meminit *lib. 2. de Offic. cap. 1.* his verbis: His addidit fidelium deuotio, *Quicumque vult saluus esse;* ut articulorum fidei, qui sunt necessarij ad salutem, nulla diei hora obliuiscamur. Idem in *Spec. cap. 3.* ait: His adiungimus expositionem Catholicæ fidei, ex eo, quod hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra, & clypeus inexpugnabilis contra antiquum hostem. Vide quæ diximus supra *Seclio. 4. num. 6. pag. 55.*

3 Non dicitur in Dominicis infra Octauam Natiuitatis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis, & Corporis Christi, nec in Dominicis Paschatis, & Pentecostes; quia harum Officia non sunt propriè Dominicalia; neque in alijs Dominicis eadem de causa dicitur, in quibus fit de Festo Duplici. Gemma *lib. 3. cap. 128.* notat, ideò non dici in Paschate, quia in futura vita, quæ in Paschate denotatur, totum habetur quod nunc creditur: quare simili ratione, ac si mysteria ipsa in Natali Domini, Epiphania, Ascensione, Festo Corporis Christi, & Pentecoste, oculis cernamus, abstinemus à Symbolo S. Athanasij.

4 In Dominica, seu Festo sanctissimæ Trinitatis dicitur, quia Symbolum de Trinitate doctrinam continet; non tamen quotidie dicendum est vbi celebratur Octaua sanctissimæ Trinitatis, quia Dominicæ assignatum videtur: quare & in die Octaua dicendum erit, quod aliàs non diceretur. Dies enim Octaua equè ac prima non eandem classem, sed eundem ritum habet. In fine illius additur *Gloria Patri, &c.* ut fit in Psalmis: tum quia more Psalmorum cantatur; tum quia declarato mysterio Trinitatis, æquum est, ut eidem gloria detur.